

Vita Caroli, caput VIII

Versio prima

Illo tempore equitabamus de Purglino in Pragam et venimus in castrum Pragense. Et deposuimus nos in lecto. Et erat magnus ignis in camera multeque candelae ardebant in camera et ianuae et fenestre omnes erant clausae. Et deambulabat nescio quid per cameram. Ambo evigilavimus, et Bussko circumivit per cameram et nichil potuit invenire.

Tunc fecit maiorem ignem et ivit ad ciffos et potavit et reposuit unum ciffum prope unam magnam candelam tunc deposuit se iterum ad lectum, et nos sedebamus in lecto et audiebamus ambulantem, videre tamen neminem poteramus. Et vidimus ciffum proiectum nescimus per quem de uno angulo camere usque in alterum. Territi sumus et semper ambulantem in camera audivimus, neminem autem vidimus. Post in Christi nomine dormivimus. Et mane ciffum in medio camere invenimus et ea nostris familiaribus ostendimus.